

| | |
|--|------|
| Materiae emetinae | 1,15 |
| extractivae | 2,45 |
| gummosae | 5,— |
| Amyli | 20,— |
| Materiae lignosae | 66,— |
| Jactura | 4,80 |
| Pelletier et Magendie in 100 paribus substanciæ corticalis rad. Ip. fuscae invenerunt. | |
| Emetinae | 16 |
| Cerae | 6 |
| Olei pinguis | 2 |
| Gummi | 10 |
| Amyli | 42 |
| Fibrae | 20 |
| Acidi gallarum et materiae perditæ | 4 |
| cum contra et totidem partibus ligni interioris tantum 1, 15 Emetinae elicuissent. | |

II. Pars therapeutica.

Relationes pharmacodynamicae generales.

Ipecacuanha ventriculo commissa, singulari stimulo membranam illius internam, simulque vasa nervosque ibi reconditos aggreditur. Quem hi experiuntur effectus, a tunica mucosa membranae musculari communicatus, hujus vim contractivam sollicitat. Consensualis hujus organi cum ceteris vitae plasticae organis nexus, hancce irritationem per sistema gangliosum ad sensorium commune, ad vasa sanguifera, præ-primis capillaria, ad cutem externam, brevi per omnem organismum diffundit.

Pro varia autem, qua ministratur dosi, variae quoque exsurgunt effectuum differentiae.

Refracta dosi adhibita, stimulo sat miti in ventriculi membranas agit et, quin vomitum cieat, nauseae sensum excitat. Organa assimilationis inferioris salubrem ejus effectum experientur; secretio gastrica, intestinalis, hepatica et pancreatica augentur, motus peristalticus alacrior, alvi excretio facilior redditur. Vascularium sanguiferorum, et lymphaticorum abdominalium circulus acceleratur; vasa resorbentia officio suo energice funguntur; se-*et* excretiones leni modo expediuntur.

Quibus omnibus systematis gangliosi vita initatur, systematis nervosi altioris renisus infringitur, motus inordinati componuntur, spasmi solvuntur.

Dosi plena adhibita, propria quadam affectione ventriculi, tractusque intestinalis, nauseam vomitumque fortiorum movet, quae vero symptomata non tam acri cuidam principio, licet tale includat, ut plurima pharmaca vegetabilia, nec irritationi majori ut sales, sed dynamico potius influxui in sensibilitatem debet, quo ventriculi et organorum vicinorum nervos adit, eorum vim cito invertit, hocque modo omnia motus muscularis alienati et antiperistaltici symptomata producit. Hinc in morbis in quibus emeticus usus indicatus est, quin major ventriculi irritatio feratur, omnibus aliis rad. Ip. longe anteponenda.

Nimia dosi ventriculo ingestis, in homini-

bus et animalibus, quibus vomitus conceditur emesin fortē excitat, in animalibus vero, quibus vomitus denegatur, major pulveris Ip. dosis gravem pulmonum, ventriculi et intestinalum irritationem, inflammationem denique in gangrenam et mortem cito ruentem procreat.

Contraindicationes.

Licet, ut ex antea dictis patet radix Ip. nobis summi valoris praebeat medicamen, tamen sunt, quae ejus usum aut penitus vetant, aut magnopere infringunt, aut summam in ejus applicatione sibi exposunt circumspectionem; et quidem:

- a. Minime in usum trahatur, ubi aegri tractandi veniunt debiliores, sensiliores, plethorici, systematis sanguiferi agilitate nimia et stimuli impatientia praediti, nisi his vasorum aut nervorum turbis debito modo sedatis.
- b. Recusetur aegris ad congestiones, ad haemoptysin, inflammationem pulmonum aut enkephali dispositis, vel ipsa jam visceris cuiusdam inflammatione affectis; licet bene notandum, congestiones pectorales ex abnormali nervorum temperie originem ducentes, non solum Ipecacuanhae usum non recusare, imo quandoque salubres hujus remedii experiri effectus.
- c. Absit in genere in casibus, quae emetici usum generatim non admittunt, nisi prius obstaculis hisce solutis, quibusve adnumerari merentur: humorum penuria, nisus in dis-

solutionem, cardialgia; vitia organica diversa, aneurismata, varices, vomicae, prolapsus demum et herniae.

- d. Infringunt ejus usum graviditas cum dispositione in abortum, et uteri haemorrhagias, singularis nonnumquam vomendi impotentia, idiosyncrasia.

Relationes pharmacodynamicae speciales.

Experientia duce igitur exhibeamus paucis, quid in variis morborum formis radix Ipecacuanha valeat, in quibus sanandis laudibus, nunc meritis, nunc nimie excedentibus celebrata est; et quidem:

I. Plena dosi.

- a. In omni morbo ubi ventriculus materia externa nociva, priusquam effectus deleterii reliquo communicarentur organismo, via brevissima liberandus, nec illa tractui intestinali transmittenda est, ubi ergo, quin diarrhoea accedat vomitus requiritur; in omni ergo casu ciborum et medicaminum, aut quantitate aut qualitate ventriculum morbose affffientium, in casu assumti veneni, ubi aut sola porrecta, aut, ut citiorem exserat effectum, parvis emeticorum fortiorum dosibus juncta, modo leniori emesin provocat, imo infantibus quoque et sensilioribus prae ceteris conductit.

- b. In morbis febrilibus et quidem:

- α. In febris continuis.

Radix Ipecacuanhae in illis praecipue fe-

bribus, quas praeclariss. Stoll et Frank sub nomine gastricarum descripserunt, pree aliis emeticis quasdam sibi evincit praerogativas. In cacockymia gastrica, ubi in tractu intestinali magna est succorum corruptio, hepatis, pancreaticis, intestinorumque infarctio, aut ubi alia quae-dam materia somitem febrium constituit, singularis virtutis remedium est, cui non facile aliud potest aequiparari. Ejusmodi febres gastricae nulla inflammationis symptomata offerentes, nulla tutius sanantur methodo, quam si materiae morbifcae, saburrae, cruditates ante omnia removeantur, vi purgativa et emetica una simul et adstringente quodammodo Ipecacuanhae inhaerente; ita ut radix haec viscerum tonum restituat et transpirationem viribus sudoriferis revocet. Praecipuam autem laudem meretur in illis febribus gastricis, quae in characterem adynamicum nervosum aut putridum transire minantur.

β. In febribus intermittentibus ex eodem fonte provenientibus, quarum larvatae, vel admodum pertinaces, pree ceteris quartanae vernales, cortice aut sulfate chinini per tempus jam frustra tractatae, Ipecacuanhae haud raro cedunt, ita quidem ut clariss. Stoll aperte fateretur, se malle cortice quam Ipecacuanha carere. Methodo confundenti non minus quam praevertenti inserviens, quadrante hora ante paroxysmum porrecta, hunc vel elidit vel penitus refrenat, imo nonnumquam radicitus tollit, et quidem quo major est nau-

sea et corporis universi concussio, eo securior effectus.

- γ. In febribus exanthematicis, in typho, variolis, morbillis, scarlatina, sine omni ad nobiliora organa congestione, et non solum quidem in ulteriori morbi decursu, aut exanthematis eruptione ob cutis languorem aut spasmum universalem retenta, verum etiam symptomatibus suspectis provenientibus ad contagii in organismum recepti effectus delendos, universalem reactionem excitando.
- δ. In Cholera tam sporadica, quam epidemica remedium praebet, inter cetera contra insidiosum hunc morbum commendata, summis laudibus dignum et quidem: sub morbi initio, si morbus ex errore diaietetico originem suam dicit, et characteris gastrici praevalentia symptomata profert; sub ulteriori autem morbi decursu, quando vomitus nullus aut insufficiens adest, diarrhoea copiosa aegrum molestat, hisque accedunt circuli sanguinis et respirationis languor, pulsus parvi et debiles, cyanosis, frigus denique cutis universale. Ejusmodi casu, adaequata ut plurimum venaesectione praemissa, et radice Ipecacuanhae larga manu porrecta, spasmi cutanei solvuntur, circulus sanguinis evadit liberior, transpiratio cutis restituitur, excedens imo diarrhoea mirum in modum moderatur.
- ε. In febri puerperali pro causa primaria sordes gastricas agnoscente, si phlogosis altiore gradum non attigerit, dolores vehementissi-

mi urgent, morbusque omnibus adynamiae signis stipatur, remedium largitur summi valoris.

ξ. Erysipelas praeprimis faciei, rebelle et pertinax contra solita remedia, nec repetitis phlebotomiis cedens, Ipecacuanhae vires victrices agnoscit, ita quidem ut a cl. Hufeland specifici fere dignitate donaretur.

η. Anginae membranaceae et quidem si morbo imminentि oppositum, lymphae secretionem imminuit, transpirationem ad normam reducit, spasmos componit, talique pacto medico contra atrocem hunc morbum medicamen summi momenti praebet. Sub morbi fine, ubi ob lymphae coagulabilis in larynge exsudatae copiam et consistentiam respiratione difficultis evadit, stertorosa et cum continuo suffocationis metu anxia, aut ubi membranularum hic loci formatarum ejectio laboriose procedit, raro sine optato effectu, in usum trahitur.

κ. In morbis chronicis characteris gastrici, biliosi aut pituitosi, ubi lingua impura, sapor fatuus, ructus insipidi aut amari, pressionis ad ventriculum sensus, vomituritiones etc. sordes sursum turgescere patefaciunt, salutarem saepe producunt effectum.

δ. Affectiones cutaneae chronicae, inveteratae, scabies, herpes, tinea, siquidem affectionibus gastricis adsociantur, hujus medicaminis viribus saepe saepius cedunt.

ε. In malis nervosis, quorum focus in systemate

vasorum et gangliorum ardet, in quibus vitam in cerebro et nervis inde exeuntibus modo antagonistico componere juvat, uti sunt mania, melancholia, hypochondriasis, hysterias, maiores Ipecacuanhae doses optimo saepe cum effectu adhibentur.

II. Dosi refracta.

Plures adhuc prioribus inveniuntur morbi, quibus rad. Ipecacuanhae dosi refracta adhibita optimo cum successu opponitur. Huc referri merentur et quidem :

a. In morbis febrilibus :

α. Dysenteria. Pro diversa causarum quae dysenteriam inducunt, et morbi ipsius indole, pro epidemicae aut sporadicae constitutionis charactere, pro serie et successione symptomatum, pro diverso tandem morbi stadio, varia quoque remedia adhibenda sunt. Ipecacuanha in dysenteria acuta, sthenica, praesertim in inflammationis stadio adhibita, non minus detimento est, quam aliud quodvis emeticum, et hic numquam locum habet. Sub primo tamen morbi initio, antequam inflammationis gravioris symptomata erupuere, aut si tempus et symptomata stadii inflammatorii jam praeterlapsa sunt, multumque in tractu intestinali materiae alienae retinetur, quae spasmodicas affectiones sustinet, intestinorumque functiones impedit, naturae viribus aut remediis mitioribus ad eas eliminandas non sufficientibus, radice Ipecacuanhae scopo

emeseos medici saepissime utuntur. Ipecacuanha autem non tantum evacuando agit, sed etiam, ob intimam inter tunicam ventriculi internam et cutim externam relationem, salutarem movet diaphoresin, dosibusque exiguis cum opio utplurimum, applicata in dysenteria rheumatica praecipue, et rheumatically-biliosa, remedium est decantatissimum, excretionum numerum imminuens, dolores solvens, tenesmum spasmosque solvens, transpirationem culis adaugens et restituens.

b. In morbis jam prius memoratis febrilibus, ut febri puerperali, exanthematibus, cholera tandem epidemica. In typho abdominali recentissimis temporibus vires suas egregias comprobavit.

b. In morbis chronicis, et quidem:

a. In affectionibus spasticis, magnae, ac fere specificae est virtutis, alia remedia imo opium haud raro superans. Praecipuae morborum formae, in quibus experientia ejus usum refracta dosi sancivit, cardialgia sunt, vomitus, colica, ileus, cholera; illae gravidarum, parturientium aut puerarum affectiones spasticae et convulsiones, in quibus non pleniora aut sanguinis congestio, aut vitium organicum, aut alia quaedam causa aperta adest, sed ubi potius dynamico quodam irritamento relatio inter sistema gangliosum et sensorium commune alteratur; dolores ad partum spurii. In convolutionibus infantum quae vermis intestinalibus aut dentitioni laboriosae

originem debent, salubrem jam praestitit effectum.

- β. In omnibus pulmonum morbis, quorum causa in affectione organorum respirationis spastica residet, ut in asthmate spasmatico, tussi infantum convulsiva; in illis denique morbis ubi circulus sanguinis per pulmones tardior, secretio muci ob laxitatem adacta, excretio ob organorum debilitatem imminuta observatur; in catarrho chronicō, chronicā pulmonum blennorrhœa, asthmate pituitoso, tamquam expectorans summi aegro est emolumenti.
- γ. In spasticis systematis muscularis affectionibus, epilepsia, katalepsi ob vim suam paroxismos aut lenientem aut praecaventem.
- δ. In morbis porro, quae cum digestionis et assimilationis organorum torpore et tardo sanguinis per vasa abdominalia progressu, aut spastica eorum contractione procedunt, in amenorrhœa, chlorosi, colluvie primarum viarum mucosa.
- ε. Quae ex vasorum resorbentium functionis inertia emergit, hydropi sic dicto passivo opponitur, non minus quam, activitatem vasorum resorbentium ad normam reducens anasarca, ab exanthematis suppressione, aut refrigerio exorto; hydrothoracis imo cruciatus saltem imminuendo, multum valet.
- ζ. In haemorrhagiis; commendatur in pneumonorrhagia, metrorrhagia sub partu vel eo jam absoluto, menstruorum vel haemorrhoi-

dum fluxu justo copiosiori, in mictu denique cruento. Haemorrhagiae in quibus sanandis ab Ipecacuanha salus speranda, ejus plerumque naturae sunt, ut indoli affectio-
num spasticarum proxime accedant, quinimo per has producantur; sic in haemoptysi tunc praesertim egregii est pretii, si tamquam causa morbi primaria, irritatio quaedam systematis sensiferi atque irritabilis, aut horum systematum, eorumque relationis dynamicae morbifica quaedam exaltatio subest, quae spasticas pleurae, pulmonum aut vasorum affectiones, tussim, insultus asthmaticos, aut alia quaedam symptomata spastica profert, si ejusmodi causae ejus naturae sunt, ut sine omnis inflammationis aut laesionis organicae signis, irritationem quandam in organis respirationis, tussim et cum ea ejectiones sanguinis spumosi, floridique per bronchias et tracheam sustineant. Affectio spastica in ejusmodi haemoptysi saepe valde gravis; sic nonnumquam totius pectoris convulsiva discussio, et tussis violentior subsequitur sub insigni ac repentina crux ex pulmonibus jactura; non raro est, hominem in tanta paroxysmi acerbitate asphyxiae sub specie detentum jacere.

In tanta vero in morbis hucusque recensitis Ipecacuanhae salubritate, magna tamen, etiam si in parvis refractisque adhibetur dosibus, praecautione opus est, ne vomitum excitet, quo sperata ex Ipecacuanha salus non tan-

tum irrita redderetur, imo fons novus malorum oriretur.

§. Mentis perturbationes, melancholia, mania, moria non minus, quam affectiones ex alterata nervorum temperie prodeentes hypochondriasis, hysterias, refractam quoque Ipecacuanhae dosin ad nauseam usque porrectam non raro sibi exposunt.

Forma et dosis.

Quum tam partes resinosae, quam gummosae radicis Ipecacuanhae viribus emeticis, ut ex ante dictis patet, polleant, diversis quoque sub formis adhiberi potest. Occurrit ergo sub forma infusi, tincturae, pulveris; nec electuarii, boli, pilulae, morsuli, trochisci, pastilli formam recusans. Pulveris et infusi forma ceteris merito praefertur, reliquis formis alioquin tantummodo locum invenientibus, his duabus non concessis.

Refracta dosi pulvis a parte grani $\frac{1}{10}$, $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{2}$, ad dosin usque grani unius augetur et omni hora aut bihorio pro vario medicaminis fine, variis remediis nuptus propinatur, imo in majori intestinorum torpore, magnae radicis doses absque vomitu feruntur. Secundum cel. Richter ad herniam spasmo interceptam liberandam, dosis grani $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{5}$ omni dimidia hora sufficit.

Ad vomitum provocandum in infante pulveris gr. 2—6, in adulto gr. 10—20—30 requiruntur. Porrigitur quoque prima vice ad gr. 10—

scrupulum unum; dein donec vomitus sufficiens inseguutus fuerit, omni quadrante aut dimidia hora ad gr. 5—10 exhibetur.

Pilulis pulvis rad. Ipecacuanhae saepius additur; bolus vero, ex pulvere radicis Ipecacuanhae et oxymellis squillitici sufficiente quantitate et electuarium nunc rarius adhibentur.

Ad infusum aquosum scopo emeseos radix requiritur a scr. 1—2 ad colaturam unciarum 2—3 cui oxymeI squillit. ut plurimum additur. Hujus infusi ab initio dimidia pars hauritur, residui autem, omni quadrante hora cochlear cibarium unum ad vomitum usque capit. Infusum emeticum vinosum, quod radicis unciam unam vini generosioris libra una frigide infundendo paratur, cochleatim exhibetur; eandem dosi admittit quoque infusum aquosum frigidum, eodem ac praecedens modo parandum.

Tinctura, quae ex drachma Ipecacuanhae fit, in alcoholis uncia una digesta, dosi refracta a grani parte $\frac{1}{6}$ — $\frac{1}{2}$, dosi plena ad guttas decem pro singula dosi praescribitur.

C o n n u b i a.

Pro vario, quem medicus attingere in animo habet, scopo therapeutico, varia quoque radici Ipecacuanhae adjungit remedia: aut emetica fortiora, ut tartarum stibiatum, aut evacuantia mitiora ut cremorem tartari, arcanum^{duplicatum}, rheum, salem ammoniacum, refractas calomelanos doses, aut stimulantia volatilia ut elaeosacchara, cinnamomum, camphoram, moschum,

castoreum, narcotica denique ut opium, hyos-
ciamum, quorum praecipua brevibus hic absolu-
vemus.

Si dosi plena Ipecacuanhae usum facimus,
ut vis radicis acuatur, effectus celeriores fiant,
securioresque, granum ubi licet tartari stibiati,
sulfatis zinci etc. addimus; huic scopo et scilla ma-
rina, aut vinum antimoniatum inservit; ut al-
vus fluida reddatur et intestinorum evacuationes
insequantur salibus mitioribus, arcano dupli-
to, sali mirabili juncta praebetur.

In diarrhoea chronica, magna canalis inte-
stinalis debilitate, et sensibilitate exaltata, in
digestionis inertia, in diarrhoea habituali in-
fantum, cum refractis rhei dosibus aut magnesia
carbonica.

In pneumonia asthenica, typhosa, expec-
toratione impedita, magnae oppressionis sensu
et insultibus suffocativis, connubium cum flori-
bus benzoes et camphora summe salutaris; in
catarrho pulmonum et bronchitide chronicis,
irritatione pulmonum spastica, tussi sicca cum
titillationis sensu in larynge, minutae calome-
lanos, sulfuris aurati antimonii doses, Ipecacuanhae
effectum valdopere adjuvant.

In metrorrhagiis spasticis individuorum
sensibilium, hysterorum cum elaeosaccharis,
oleis aethereis, cinnamomo, castoreo etc.

Sub transitu febrium gastricarum, rheuma-
ticarum et catarrhosarum in statum adynami-
cum nervosum, in typho nervoso, connubium
cum camphora, angelica, serpentaria et secun-

dum methodum cel. Hartmann cum valeriana maxima commendari meretur.

In multis insuper morbis, narcoticis adso- ciatur, opio e. g. hyosciamo etc., remedii hisce vim radicis emeticam moderantibus, Ipecacuanha contra vi narcoticae aliquid subtrahente, et quidem in asthmate spastico, dysenteria charac- teris catarrhoso-rheumatici, sine validae febris symptomatibus, cuti sicca, tenesmo et ventris imi doloribus summe cruciantibus.

In ictero spastico, ischuria et hydrope spasticis sales mitiores non minus quam for- tiores adjungimus, e quibus ad hydroponem sanan- dum tartricos ceteris omnibus anteponimus.

P r a e p a r a t a.

1. Emetina, Emesium, materia emetina, Brechstoff, — Gallis: Emetine — Anglis: Eme- tin. Hoc principium Ipecacuanhae efficax, anno 1817 a Pelletier et Caventou e radice elicitum impurum nobis seu coloratum, et purum prostat.

Cel. Pelletier sequentem priorem praepa- randi methodum proponit. Ipecacuanhae radi- cis in pulverem subtilissimum tritae, uncia una, aetheris sulfurici (50—60 B.) unciis dua- bus excipiatur vase clauso et destillationi apto, maceretur deinde sub modico calore per ali- quot horas. Quod superest, denuo teratur, et in alcoholis (30—40 B.) unciis quatuor, breve per tempus antea maceratum aliquantulum ebuli- lat. Coletur liquor, et residua materia reitera-

tis vicibus, donec nil prorsus ex radice secedat, maceretur. Extractum ex liquoris hujus alcoholini ad siccitatem evaporatione obtentum, in aquae frigidae sufficienti quantitate solvatur, ut quidquid in aqua solubile est, extrahatur. Solutio haec per chartam coletur et ad siccitatem evaporetur. (Codex medicament. Paris. 1818).

Adparet emetina impura sub forma squamularum, coloris nigrofusci, consistentiae solidae, fracturae nitidae; aëri exposita humescit; sine ullo fere odore saporis est acris, nauseosi, aqua solvit, crystallorum formam non adsumit. Ex analysibus a cl. Pelletier et Dumas institutis liquet, consistere emetinam e partibus carbonii 64,57, azoti 4,00, hydrogenii 7,77, oxygenii 22,95.

Ad parandam emetinam puram, emetina colorata solvit ope aquae, acido muriatico impregnatae; quod exinde per mercurium subl. corr. praecipitatur, aqua prius ablутum in alcohole solvit. Solutioni additur hydrosulfuretum barytae, et quod secedit ope acidi sulfurici saturatur, alcohol autem lenis caloris ope evaporatur. Praecipitatum, quod ope ammonii purioritur, emetinam puram nobis largitur. Pulverem refert album, aëre constantem, odoris et saporis expertem, alcaline reagentem. Moderato jam calore ad 50° R. ascendentе fluida, in spiritu vini facile, difficilius in aqua, minime vero in aethere solubilis.

Vis emetica emetinae maximo gradu inhaerens, summam sibi in applicatione requirit cir-

cumspceptionem. Emetinae enim purae pars gr. $\frac{1}{16}$ debitibus interstitiis propinata vomitum provocat, ad dosin autem gr. 2—4, ut hoc experimenta a cl. Magendie in animalibus instituta demonstrant, nauseam et vomituritiones provocat. Vomitum non concesso oritur gravis ventriculi et intestinorum inflammatio, unacum doloribus circa umbilicum vehementissimis. Patitur quoque pulmo, inflammatur, adest tussis sicca, asthma, haemoptysis; urget febris validissima, et sub omnibus gangraenae symptomatibus, vitae finis imponitur. Emetina impura ad gr. $\frac{1}{2}$ — 1—2 ventriculo jejuno ingesta vel venae jugulari immissa, repetitum procreat vomitum, quem stupor sensuum et somnus profundus excipiunt. Vomitum denegato, sub iisdem ac prius adduximus symptomatibus, mors insequitur. Ad gr. 10 ab animalibus adsumta vomitum primo sat copiosum, tunc somnum profundissimum, sub quo animalia pereunt causat.

Praeparatum hoc efficax, ob effectus deleterios, minimis tantum dosibus praescribitur. Sumitur praeparati hujus pulvis aut solutio et quidem emetina pura a gr. $\frac{1}{16}$ — $\frac{5}{16}$, impura autem ad gr. $\frac{1}{2}$ — 1 — 2.

Praeparatum eundem cum Ipecacuanha usum admittens, ob accuratam quae possibilis est, dosium ad qualitatem et ad quantitatem determinationem, radici a multis haud immerito praefertur.